

non modo reperiri βάρετος, sed et τὸ βάρετον quod ex Anacreonte alibi, odar. 9, 34., patet.

*Ode II. v. 4. Χάσμα σ' δόντων]* Quid hoc sit, notius est, quam vt explicatione videatur egere. Sed χάσμα θηρός, id aliud est. Hesychius: χάσμα θηρός· ὄψις θηρός, [ἢ θαλάσσης πρόσωπον]. quae postrema verba a nemine intelligi poterunt. qui enim fiat? χάσμα θηρός erit *maris facies?* non ita. Sed sic sese res habet, vt dicam. Locus mutillus est, supplendusque, et emendandus, vt iam audies: χάσμα θηρός· ὄψις θηρός. ΧΑΣΜΑ ΠΕΛΑΓΟΥΣ· τὸ τῆς θαλάσσης πρόσωπον. Habebat autem ante oculos hunc Herodoti locum, 4, 85.: Ἐκδιδοῖ δὲ ὁ Ἑλλήσποντος εἰς [χάσμα πελάγεος], τὸ δὴ Αίγαον καλέεται, p. 252. edit. Marnianae, Stephanianae autem p. 158. Quo loco tamen audebo dicere errasse Hesychium, nam χάσμα πελάγες non significat *maris faciem*, sed *vastum maris spatium*. vnde et Horatio, 2. od. 16, 1. f., patens Aegaeum dicitur: *in patenti Prensus Aegaeo*. Nisi si, quo magis inclinat animus, dixeris, addita ista olim a sciolo quodam fuisse, qui illum Herodoti locum non recte intellexerit. Hoc enim monendum arbitror, multos olim Hesychii purpurae suos pannos ausos fuisse assuere, et optima quaeque corrupisse, aliquando etiam detraxisse. Idque ita esse, vel hinc facile intelligas, quod in praefatione operis id se facturum pollicetur, quod raro praestitit. Sciunt docti, quid velim, de prouerbiorum explicatione loquor. Addam et hoc monitum, reperi in illo pretiosissimo Hellenismi thesauro carbones ex Graeco vulgari, quod hodie Ρωμαϊκὸν vocant.

*Ibid. v. 8. Γυναιξὶν γένεται ἔχεν]* Id est, Nil amplius habebat Natura, quod mulieribus largiretur; iam omnes suas facultates exhauserat. Hanc autem explicationem illi anteponendam putem, quam vterque interpres attulit.

*Ode III. v. 17. Φέροντα τόξον]* Existimauit Henr. Stephanus, legendum esse φέρον δὲ τόξον, non quod dici nequeat βρέφος φέρεντα τόξον, habita scilicet significationis, non autem generis, ratione; nam, et senium pro *sene*, et *scelus* pro *scelesto*, cum masculinis iungi certum est, idque apud Teren-